

omnem durtiem et diutinum dolorem et ducit sudores, eadem ulcera vetera callosa renovat et facilius aliis medicamentis, quae hoc pollicentur, cogit cicatricem ducere: salis marini, cerussae, olei veteris paria pondera. coquitur cum oleo cerussa, donec coeant, et postea sal admiscetur.

CCXVIII. Emplastrum aliud ex sale nigrum efficacius, eadem ad omnia 5 facit; sed recipit singulorum pondo libram similiter, olei autem veteris triplex adicitur.

CCXIX. Emplastrum album ad combusta et perniones: cerussae pondo libram, olei myrtei pondo libram, spumae argenteae X p. XXIII, cerae Ponticae pondo libram. cerussa et spuma argentea coquuntur cum oleo, 10 donec coeant; postea adicitur cera.

#### Emplastrum album Paccii Antiochi

CCXX. Emplastrum album Paccii Antiochi, qua uti oportet, cum in mammis mulierum aliove quovis loco durtia fuerit, quae ad omne medicamentum exasperatur, quam Graeci carcinoma aut cacoethes vocant. 15 facit autem ad combusta et vetera omnia, quae non facile cicatricem ducunt; item ad ulcera ex frigore vel per se facta, praecipue vero ad ani vitia difficilia et vetera, rosa diluta: cadmiae botroitis X p. VIII, pompholyges Cypriae X p. VII, molybdaenae lotae X p. V, thuris masculi X p. IIII, cerussae X p. LXX, spumae argenteae X p. L, cerae Ponticae X p. VIII, 20 resinae terebinthinae X p. VII, olei myrtei X p. C, alterci albi, iridis, sertulae Campanae, terrae mali, papaveris silvatici capitum corticis, singulorum X p. VI. quae sunt dura teruntur ex vini veteris sextario uno, in quo die et nocte macerentur. cum levia facta fuerint et mellis spissitudinem habuerint, tunc myrteum oleum minutatim in mortario adicia- 25 tur, et cum fuerit temperaturae liparum, medicamentum coniciatur in novo fictili caccabo et coquatur pruna non nimis acri moveaturque sine requie, ne aduratur; cum emplastri temperaturam habuerit, resina et cera adiciatur.

CCXXI. Emplastrum ad combustum mirifice facit; cum multis usus 30 sim, nullam magis probo: et protinus imposita et postea tollit dolorem